

2.º Ex PP. Ex S. Chrysostomo; et Ephrem in prima parte citatis.

3.º Ratione: a) De Christo D. major quae possibilis sit gloria praedicanda est. Sed major est gloria Christi, si habetur ut iudex vivorum et mortuorum in omni iudicio. Ergo... b) Deus iudicium dedit Filio (1) *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Sed hic Dei finis non obtineretur, si homines hic viventes non intelligerent ex Christi voluntate ac misericordia, vel severa iustitia suam salutem damnationemve in omni iudicio pendere. Ergo... c) Praeterea, cui Universi redemptio, et potestas excellentiae tributa est ad dispensanda tum spiritualia, tum temporalia bona, consentaneum est dare iudicium de usu, vel contemptu Redemptionis et gratiarum collatarum, juxta illud (2): *Deus iudicium tuum Regi da et iustitiam tuam Filio Regis*. Ergo...

12. Obj. 1.º Non inveniuntur in particulari iudicio vera iudicii constitutiva, nam haec sunt causae discussio, sententiae prolatio, ejusque executio. Sed in iudicio particulari haec absunt. Ergo...

Resp. Neg. asser. et ad prob. Dist. *maj.*: causae discussio improprie dicta i. e. cognitio, neg. Proprie dicta, subdist. in iudicio humano; conc. in divino; neg. Et contradist. *min.* etc., nego *conseq.* Vide Schol.

Obj. 2.º S. Joannes (3) ait: *Qui credit in Deum non iudicatur, qui autem non credit jam iudicatus est*. Sed si iudicatus, non iterum in morte iudicandus est. Ergo.

Resp. Explico sensum: jam iudicatus est, h. e. ex se jam causam ponit, qua iudicatur et damnatur; conc. Iudicatus est proprie divino iudicio subdist. Occulto et revocabili seu non finali; conc. Aperto et irrevocabili seu finali: neg.

Obj. 3.º (contr. 2.º^{am} part.) *Omne iudicium* apud Joannem (loc. cit.) sufficienter exponitur de omni persona, quatenus Jesus omnes iudicabit in fine saeculi. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Nam illud *omne* non tantum exprimit personam omnem, sed etiam et potius omnes actus iudicandi.

Obj. 4.º Deus ita hominum curam Angelis demandavit, ut horum ministerio omnia hominibus dispenset. Ergo similiter per Angelos homines iudicat. Confr. a) Quia inter homines summi Principes per se ipsos non iudicant, sed per ministros. Ergo similiter Deus. b) Apparitiones Dei et Christi non nisi mediis Angelis fiunt, ut docent Theologi: sed cum homo iudicatur, apparet ei Deus, vel Christus. Ergo iudicium particulare fit per Angelum nomine Dei vel Christi apparentem, ejusque auctoritate iudicantem.

Resp. Neg. parit. et *conseq.* paritatem quidem, quia iudicare est

(1) Joann. V, 23.—(2) Ps. XVI, 2.—(3) III, 18.

proprie actus dominii, et alia officia, quae Angeli obeunt sunt ministerialia; *consequentiam* pariter, quia de illis constat ex Scriptura et traditione Angelis fuisse commissa; non de Iudicio, quod soli Jesu committitur.

Ad a) dico non subsistere paritatem ab humanis principibus desumptam, qui nec valent per se ipsos pluribus causis et negotiis in particulari interesse, nec communiter pluribus gubernandi distincti curis, pollent omni peritia ac scientia ad prudenter iudicandum requisita: si enim humanus Princeps commode posset ad omnia iudicia attendere, major perfectio et excellentia esset si omnia et singula ab ejus prudentia et iudicio penderent: cum ergo Christus D. congrue possit omnibus praeesse, ad ejus perfectionem et excellentiam pertinet iudicia omnia particularia exercere.

Ad b) dicitur mediis Angelis fieri communiter apparitiones corporales et sensibiles et de his loqui Theologos: sed in iudicio particulari apparitio est mere intellectualis, ut inferius dicemus.

Inst. Ex eo quod ab antiquissimis Ecclesiae temporibus S. Michael depingatur cum statera et lance, quae sunt potestatis jus dicendi symbolum. Ergo...

Resp. 1.º Hanc picturam videri inventum pictorum qui Theologorum opinioni de S. Michaeli iudice adhaeserunt; ac proinde talis pictura non auget argumentorum vim cum novum argumentum non sit.

R. 2.º Cum P. Gaspere Sanchez (1) «Neque aliam ob causam jam olim ab antiquissimis Ecclesiae temporibus, depictum esse arbitror Michaellem cum statera et lance, quasi in particulari animarum examine, atque iudicio, quod Deus exercet solus, suas quoque partes Angelus obeat, et quasi iudicii consors meritorum omnium pondus exploret.» Unde in forma, dist. Depingitur cum statera, etc., ut minister iudicis: conc. Ut si esset ipse iudex; neg. Non enim improbable est S. Michaellem vel Angelum custodem, egredientem ab hac vita animam justam defendere, ejusque poenitentiam et merita Christo D. proponere, contra accurrentes daemones, qui ob commissa peccata eam ad infernum ducere vellent.

SCHOLION.

De modo et circumstantiis iudicii particularis.

13. 1. Ad actum iudicii duo proprie pertinent: actus intellectualis quo causa sufficienter cognoscatur, et actus voluntatis efficaciter volen-

(1) In c. XII. Tob. n. 20.

tis ut hic homo juxta merita, poenâ vel praemio afficiatur. Praeter haec nihil aliud est necessarium ad judicium secundum se; respectu autem aliorum requiritur sententiae patefactio, quae si hominibus exhibetur, per loquutionem sensibilem fieri debet, sin autem ad animas, fit per loquutionem internam. Unde dicendum cum S. Augustino (1) quod actus hujus judicii «quaedam vis est intelligenda divina, qua fit ut cuique »opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, et »mentis intuitu mira celeritate cernantur, et accuset et excuset »scientia conscientiam.» Et sententiae intimatio in loquutione quadam interna ut ait Suarez (2): «Dicendum est, neque animam »judicandam deferri in caelum, neque Christum descendere ad »judicandam illam; sed in instanti mortis intellectualiter elevari ad »audiendam sententiam judicis. Et hoc est adduci ad tribunal ejus, »absque alia locali mutatione. Et verisimile est, in eo instanti cognoscere sese judicari, et salvari vel damnari imperio et efficitia »non solum Dei, sed etiam Hominis Christi.»

II. Judicium hujusmodi non fit tempore quod mortis momentum immediate antecedit, neque paulo post mortis instans, sed in ipso mortis instanti.

Quia simul ac anima a corpore separatur, decernit Christus D. ejus retributionem, non enim sicut homines ad causam cognoscendam et intimandam discussione et testibus indiget ut patet ex dictis.

Revelationes igitur a SS. Patribus relatae, quae judicium ante mortem, vel aliquando post mortem fuisse factum indicare videntur, non ad ipsum judicium sed ad aliquam praecedentem ipsius repraesentationem, vel consequentem declarationem generatim spectant.

III. Quoad locum videtur dicendum cum Suario (3): Animam judicari in loco corporis existentem priusquam inde discedat.

Nam cum non possit nisi in tempore moveri, necesse est ut ipsum instans mortis quod est primum non esse hominis, sit ultimum non esse motus localis animae; et consequenter fieri necesse est, ut pro eo instanti maneat in loco corporis in quo antea erat, quandoquidem nondum mota est mutatione locali. Hinc fit (4) animas in instante mortis agnoscere utrum caelo, vel inferno deputentur vel etiam purgatorio. Unde simul ac id cognoscunt propria virtute illuc moventur, honoris tamen gratiâ sociantur animae justae ab Angelis saltem a custode; animae vero deputatae ad infernum vi daemonum illuc deferuntur.

(1) De civit. Dei L. 20, c. 14.—(2) De myst. Vit. Christi D. 52, sect. 2.—

(3) Ibid. n. 12.—(4) Suar. De anim. L. 6, c. 2, n. 9.

THESIS III.

Judicii particularis sententia statim executioni mandatur: hinc mox post mortem, animae damnatorum, in infernum; plene purgatae, in caelum; non plene purgatae, in purgatorium; cum solo originali decedentes, in limbum deferuntur.

14. Nota. Nomine inferni, caeli, etc., intelligimus regiones aliquas corporales in quibus animae post mortem juxta earum statum sedem habeant. Thesis quatenus dicit animas post mortem esse in determinato statu felicitatis seu infelicitatis est de fide, quatenus dicit esse in determinato et diverso loco est communis et certa.

Loquimur de sorte animarum hic et nunc post adventum et resurrectionem Christi; nam antequam Christus descenderet ad inferos et caelum ingrederetur, justi detinebantur in limbo (1) ut morte intercedente (Christi) in redemptionem earum praevincationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis.

15. Prob. 1.^o Ex concil. Florentino, in Decreto unionis: «Item (definimus): si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, »antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem »purgari... Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post »contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem »exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in »caelum mox recipi... Illorum autem animas, qui in actuali mortali »peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, »poenis tamen disparibus puniendas.» Et in propos. 26. Synod. Pistor. a Pio VI damnata an 1794 «Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum inferorum illum (quem limbi »puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis »puniantur; perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removerent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae »et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem »fabulantur Pelagiani: falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.» Sed ex his constat animas post mortem esse in statu felicitatis aut infelicitatis; diversis statibus diversa loca deputari, ut colligitur tum ex diversitate finis praemii et poenae; tum ex diver-

(1) Heb. IX, 15.

sitate poenarum, quae variis damnatorum statibus respondent. Ergo...

2.^o Ex Scriptura. Pro justis S. Paulus ad Philippens. (1): *Cupio dissolvi et esse cum Christo*. Pro damnandis (2): *Mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno*. Datur ergo locus sanctorum seu caelum, et locus damnatorum seu infernus suppliciorum aeternorum: ergo etiam dabitur purgatorium (infra directe probabimus) pro justis non plene purgatis caelum statim ingredi non valentibus, nec infernum merentibus; similiter pro iis, qui in solo originali decedunt, alius locus seu limbus admittendus, cum hi in caelum evolare non possint, Joannes (3) enim testatur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*, neque ullus ex poenarum locis recensitis cum actualiter non peccaverint sit eis aptus et proportionatus.

3.^o S. Gregorius (4): «Qui ergo Christum in caelo esse non dubitat nec Pauli animam in caelo esse negat.» «Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.» «De levibus quibusdam culpis esse ante iudicium (universale) purgatorius ignis credendus est.» S. Gregorius Naz. (5): «Parvuli nec caelesti gloria, nec supplicis a justo iudice afficientur, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carent.» Sed haec testimonia asserunt animas statim post mortem recipi vel in caelum, vel... tamquam in loca distincta. Ergo...

4.^o Ratione. Cum D. Thoma (6): «Sicut in corporibus est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum; ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animae ad praemium vel ad poenam, quae sunt fines actionum ipsarum. Unde sicut corpus per gravitatem, vel levitatem statim fertur in locum suum nisi prohibeatur, ita animae soluto vinculo carnis, per quod in statu viae detinebantur, statim praemium consequuntur vel poenam... Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam praemii vel poenae, statim ut anima absolvitur a corpore ad locum ejus praemio vel poenae aptum deputatur. Jam eodem Angelico auctore (7): «Anima... post mortem vel est in statu recipiendi finale praemium, vel est in statu quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum et sic est paradus; vel quantum ad malum et sic ratione actualis culpae est infernus, ratione autem origi-

(1) I, 23.—(2) Luc. XVI, 22.—(3) III, 5.—(4) Dialog. IV, c. 25, c. 29, c. 39.—(5) Serm. de *sacr. lavacr.*—(6) Suppl. Q. 69, ar. 2.—(7) L. c. a. 7.

»nalis est limbus puerorum. Si vero est in statu, quo impeditur a finali retributione consequenda... est purgatorium, in quo detinentur animae ne statim praemium consequantur, propter peccata, quae commiserunt.» Ergo...

16. Obj. 1.^o Incorporalia in loco non sunt. Sed animae separatae sunt omnino incorporeales. Ergo...

Resp. Dist. In loco non sunt proprie et intrinsece per ubi proprium spirituum; neg. In loco extrinseco et respectivo subdist. Non sunt *corporaliter* per contactum quantitativum; conc. Non sunt *spiritualiter*, ibi et non alibi exhibendo praesentiam suam; neg.

Obj. 2.^o Origenes (1) et Theophilactus (2) non agnoscunt aliud infernum animarum quam remorsus conscientiae ac consequenter non aliud caelum quam gaudium ipsius conscientiae. S. Augustinus (3) inferorum substantiam putat spiritualementem, non corporalem, et loca esse similia corporalibus per repraesentationem phantasiae. Ergo...

Resp. Origenes tantum asserit tormentum vel gaudium ex conscientia venire, non vero rejicit loca corporalia tam pro damnatis quam pro beatis. Ad Teophilactum eadem est responsio. S. Augustinus sententiam mutavit vel firmiter ei non adhaesit cum in libro *Retractationum* (4) dicat non debuisse ipsum explicare rationem cur inferna esse dicantur aut credantur; sed potius affirmare quod sint sub terra.

Obj. 3.^o Receptacula animarum non sufficienter assignantur. Ergo. *Antec.* prob. Potest accidere ut aliquis decedat ex hac vita cum solo peccato originali et veniali. Sed huic purgatorium speciale designandum est, siquidem neque ad infernum, neque ad purgatorium animarum sanguine Christi redemptarum, neque ad limbum puerorum, qui sola originali labe infectos capit, neque ad sinum Abrahae, ut per se patet, ire potest. Ergo...

Resp. 1.^o P. Arriaga (5) concedit totum, cum peccatum veniale poenam aeternam non mereatur, et postulet speciale hoc purgatorium Dei providentia juxta quam videmus diversis animarum statibus, ut esset decedentium cum solo originali et veniali, distincta receptacula post mortem deputari. Haec sententia rejicitur a Suario (6), quia hoc novum est, et ignis non purgat culpam, sed poenam, supposita remissione culpae; culpa autem non remittitur sine gratia, nec sine dispositione supernaturali nec in

(1) *Periarch.* L. 2, c. 10, vel 11, n. 4.—(2) In Marc. IX.—(3) Genes. ad litt. c. 32.—(4) 2, c. 24.—(5) Tom. 8, D. 15, sec. 6, n. 33.—(6) De poenit. D. 11, sect. 2.

hac vita, nec in futura. Haec ultima ratio excludit etiam sententiam, quae hos homines ad purgatorium commune mandat.

Resp. 2.^o D. Thomas (1), permissa hypothesis possibilitate respondet: Neg. *antec.* ad prob. Conc. *Maj.* nego *Min.* quoad infernum, sicut juxta probabilem sententiam veniale conjunctum mortali aeterna poena in inferno punitur, ita in aeternum veniale conjunctum originali puniri debet. De hac dicit Suarius (loc. cit. n. 18) «Difficile creditu est ita decedentem fore puniendum in inferno damnatorum quia non est verisimile, hominem ita decedentem, futurum obstinandum in malo, et ita esse cruciandum, ut Deum odio habeat; videtur enim valde improportionata poena pro tam levi culpa.»

Resp. 3.^o Ipse Suarez neg. *min.* probationis quoad limbum puerorum, ita: «et ideo fortasse detinebitur perpetuo in illo loco subterraneo, qui est limbus puerorum, et ibi aliquam tristitiam patietur. Nam cum haec fiat perpetua tantum ratione peccati originalis adjuncti, debet dari cum proportione ad illud peccatum cui adjungitur; peccatum autem originale non mereretur illam societatem damnatorum.» Haec sententia, admissa possibilitate casus, est quae videtur rationabilior.

Resp. 4.^o Cum D. Thomas (l. c.) Neg. *maj.* probationis quia videtur ad providentiam Dei pertinere ut non permittat in eo statu aliquem decedere, quod certe videtur insinuasse Concil. Florentinum distincte ac praecise numerando duos status descendantium ad inferna, scilicet vel in actuali mortali peccato, vel in solo originali.

Dices: potest accidere ut aliquis et forte plurimi in tanto hominum numero et varietate moriatur inopinato post primum veniale cum solo originali. Ergo...

Resp. Suarius (2): «Hi casus sunt rarissimi, et facile credi potest Deum illos non permittere.» «Quod si... hoc, addit, etiam incertum esse dicatur, fatebimur in hac re solum esse certum, sine gratia, aut beneficio Dei non posse veniale peccatum tolli; in eo vero casu, non defuturum modum divinae providentiae quo illum hominem vel praeveniatur, ne in eo statu decedat, nisi velit aliqua dispensatione uti cum his, qui voluntate sua gratiam non amiserunt, neque illam jam recuperare possunt.»

Obj. 4.^o Tam justis quam peccatoribus retributio confertur simul in fine mundi: sic constat ex parabolis zizaniorum et sagenae in mare missae (3), ex parabolis operariorum (4), talentorum et decem virginum (5) in quibus retributio redditur ad vesperam vel ad diem

(1) Supplem. Q. 69, a. 7 ad 6.—(2) De poenit. D. 11, sect. 2, n. 19.—(3) Matth. XIII.—(4) Ibid. XX.—(5) Ibid. XXV.

judicii. Sed hoc verum non esset, si homines mox post mortem ad caelum vel infernum destinarentur. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* Retributio publica solemniter et omnino completa seu quoad animam et corpus; conc. Retributio privata, essentialis tantum et quoad animam, neg. et contradist. *min.* etc. In hujusmodi parabolis ostenditur hanc vitam in qua justis et peccatores simul vivunt, stadium esse ad vitam aeternam promerendam, illa vero finitâ, faciendam esse justorum separationem a peccatoribus et unicuique pro meritis retributionem conferendam vel privatim in judicio particulari, vel publice in postremo judicio.

Instabis. Christus in ultimo judicio hanc feret sententiam: *Venite benedicti, etc. Ite maledicti, etc.*, quae statim executioni mandabitur (1) *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Sed haec dici non possent si jam unicuique post mortem poena aeterna vel merces aeterna collata fuisset. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* Hanc sententiam publicam omnibus simul, et retributionem conferens tum quoad animam, tum quoad corpus; conc. Privatim tantum et praemium vel poenam solum animae conferens; neg. et contradist. *min.* etc. In die judicii beati praemium accipient omnino perfectum et cum publico honore ac solenni pompa: reprobi vero publica cum ignominia et confusione completa aeternum supplicium.

Obj. 5.^o Nonnulli Patres dicunt: a) animas justorum esse in sinu Abrahae; b) spectare beatitudinem; c) suspendi futuri judicii ambiguo. Sed haec non possunt componi cum immediata post mortem retributione. Ergo.

Resp. Dicunt: a) esse in sinu Abrahae loquentes de justis mortuis ante adventum Christi; conc. De his post mortem Christi et de aliis postea mortuis; subdist. In sinu Abrahae designando caelum; conc. Ipsum sinum Abrahae; neg. Chrysostomus tamen dubius est, licet visionem intuitivam non neget.

Dicunt b) spectare beatitudinem completam; conc. incompletam et essentialem solius animae; neg. Non tamen negandum est aliquos Patres hac in re errasse, dum asserebant beatorum mercedem usque ad postremum judicium differri: sic Justinus, Tertullianus, Lactantius et juxta aliquos Irenaeus, aliique, qui millenarismo adhaeserunt.

Dicunt c) suspendi futuri judicii ambiguo quoad diem, quem sancti nesciunt; conc. quoad suam beatitudinem; neg.

Obj. 6.^o In nonnullis liturgiis Ecclesiae oratur pro sanctis, ut constat ex antiqua oratione in festo S. Leonis «ut animae

(1) Matth. XXV, 46.

»Leonis famuli tui prosit oratio.» Ex missa defunctorum in qua Ecclesia postulat animas defunctorum liberari ab inferno. Ergo post mortem non adhuc sunt animae in termino.

Resp. Oratur pro sanctis in honorem eorum, et aemulationem imitationis in nobis excitandam; conc. In salutem eorum; neg. Oratio pro S. Leone fuit scripta immediate post ejus mortem, aliquamdiu retenta et postea mutata. Ecclesia orat pro defunctis in sensu accommodo, quasi si tunc essent in instanti mortis, non in sensu absoluto, ut liberentur ab inferno.

SCHOLION.

De ubi receptaculorum animarum.

17. Licet revelatio non expresse doceat ubi caelum sit, tamen ex Ascensione D. N. Jesuchristi, quae tantum apparens dici nequit, et ex communi loquendi modo. SS. PP. et DD. theologorum satis declaratur non esse nec in visceribus terrae, nec materialiter supra hanc terram; dum enim supponitur caelum in altissimis esse collocatum, satis ostenditur esse extra regionem hujus orbis terrarum illud Dei regnum, ubi gloriam suam Omnipotens Deus electis suis revelat.

Pariter communi SS. PP. et TT. consensu, conformiter Sacrae Scripturae loquutionibus (1): *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno*, dicendum est inferni sedem esse in visceribus terrae, contra nonnullos eam arbitrarie figentes vel in luna, vel in sidere Martis vel cum Swindeneo anglo in sole. Caeterum ad hanc quaestionem, bene S. Joann. Chrysost. (2): «Ne igitur quae-ramus ubi sit, sed quomodo eam effugiamus.»

Idem proportionaliter dicendum de Purgatorio et Limbo, nam cum haec loca sint receptacula animarum puniendarum, et constet ex descensione Christi ad inferos ipsum sinum Abrahae, ubi nonnisi animae sanctae et plene purgatae detinebantur, fuisse in visceribus terrae, a fortiori his concludi debent animae limbi peccato originis infectae, et purgatorii animae non plene purgatae.

ARTICULUS II.

De purgatorio et inferno.

THESIS IV.

Omnes justorum fidelium animae ex hac vita aliquo peccati reatu emigrantes, purgatorio destinantur, ubi poenis damni et sensus affliguntur.

18. Nota. I. Doctrina catholica certum est nullum justum ad

(1) Luc. XVI, 22.—(2) Homil. 31 in Rom.

infernum damnari; non omnem poenam peccatis debitam simul cum culpa semper remitti; et pro levibus etiam peccatis aliquam Deo satisfactionem esse necessario reddendam. Quare justis illis, qui ex hac vita decedunt, aliquo reatu peccati infectis necesse est ut poenis post mortem toleratis illum extinguant ut aeternam beatitudinem tandem consequantur.

II. Thesis habet duas partes; in prima asserimus hujusmodi animas destinari ad purgatorium; in altera, ibi torqueri poenis damni et sensus. Primam partem negarunt petrobrusiani, albigenses, waldenses atque husitae, quorum vestigia sequuti sunt novatores saeculi xvi. Alteram partem rejecerunt quoad poenam damni Cajetanus et alii ante ipsum (1). Quoad poenam sensus distinctam a tristitia ex poena damni orta, saltem pro aliquibus justis, aliqui doctores catholici admittunt vel non improbant (2) solum purgatorium desiderii, statum videlicet et locum in quo animae justae nullam patiuntur poenam sensus ab igne vel ab ullo alio agente extrinseco, sed dumtaxat poenam damni, i. e. privationem visionis Dei, quae illas maxime torquet et cruciat prae vehementissimo desiderio videndi Deum. Varias assignant causas, propter quas Deus aliquas animas, nonnisi purgatorii desiderii puniat. Una ex probatioribus est, numquam mortaliter peccasse. Etenim hi justi cum numquam fuerint propria voluntate inimici Dei poenâ ignis non videntur affligendi.

Thesis quoad primam partem est de fide. Quoad secundam quatenus simpliciter asserit esse poenam damni et sensus est certa, quatenus vero affirmat omnes animas in Purgatorio detentas utramque poenam pati est communis Theologorum et saltem probabilior.

19. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ex Concil. Tridentino (3): «Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit; anathema sit.» Decret. de Purgatorio (4): «Cum catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta ex sacris litteris, et antiqua PP. traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit: Purgatorium esse; animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris

(1) Tom. 1, opusc. tr. 4, q. 4.—(2) Vid. Bellarmin. L. 2, de Purg. c. 7; Less. Dub. 2, de Purg.; Alap. In Luc. XII, 35; Lud. a Ponte. Medit. P. 1.^a Medit. 36, punct. 2; P. 5, m. 34, p. 1; Nieremberg. De pulchritudine Dei, c. 11, § 4; Siuri. De noviss. trac. 6, c. 2, nn. 17-27.—(3) Sess. 6, can. 30.—(4) Sess. 25.

»sacrificio juvari: praecipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam »de Purgatorio doctrinam a sanctis PP. et sacris CC. traditam, a »Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligen- »ter studeant.» Idem profitentur Florentinum, Decreto union. «eorum justorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: »et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivo- »rum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosy- »nas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri »consueverunt secundum Ecclesiae instituta.» Lugdunense II in confessione fidei Michaelis Paleologi.

2.^o Scriptura (1): *Fortissimus Judas... facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans; (nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos speraret: superfluum videretur et vanum orare pro mortuis) et quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex his verbis aperte colligitur aliquos defunctos posse a peccatis solvi. Sed hoc verum esse non potest, nec de his qui in mortali decedunt, nec de his justis qui plene justificati moriuntur, nec de his qui in solo originali decedunt. Ergo necesse est de justis intelligi non plene justificatis. Ergo solvuntur horum animae a peccatis, in quodam medio statu temporalis purgationis, seu in Purgatorio. Apud Matthaeum (2) legitur: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Sed in his verbis sensu obvio et communi loquendi modo sumptis, supponitur aliqua peccata remitti in futura vita. Ergo animae hujusmodi peccatis inquinatae in aliquo loco ubi purgantur seu in Purgatorio detineri debent. Ita plures Patres (3) S. Isidorus (4) Hispalen. «Cum Dominus dicat, *qui peccaverit in Spiritum sanctum*, etc... demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata et »quodam purgativo igne purganda.» S. Paulus (5): *Si quis autem supraedificat super fundamentum hoc (Christum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod supraedificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit: sic tamen*

(1) 2, Mach. XII, 42-46.—(2) XII, 32.—(3) S. Augustinus. De civit. L. 21, c. 24, S. Gregor. M. Dial. L. 4, c. 39. S. Fulgent. De pecc. mer. et remis. L. 1, c. 21; V. Beda in h. l. S. Bernard. ser. 66, in Cantic. n. 11.—(4) De offic. eccles. L. 1, c. 18.—(5) I, Cor. III, 12-15.

quasi per ignem. Unde sic: Juxta Apostolum, qui supraedificat ligna, foenum, stipulam in die Domini detrimentum patietur, ac per ignem probabitur, ut tandem salvus fiat. Sed per ligna, foenum, stipulam significantur peccata venialia, quae in die Domini post mortem igne purgari debent si ante non fuerint deleta. Ergo...

Minor. prob. a) Ex contextu. Nam si non significarentur peccata venialia, supraedificans non posset salvus fieri juxta significationem quae verbo *salvabitur* debet *in die Domini* seu judicii tribui.

b) Ex PP. S. Ambrosius (1). «Sed cum Paulus dicit: »*sic tamen quasi per ignem*, ostendit quidem illum salvum futurum, »sed poenam ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, »et non sicut perfidi, aeterno igne in perpetuum puniatur.» S. Augustinus (2). «Aedificarent autem (aliqui hominum) aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent; »non solum de illo aeterno qui in aeternum cruciaturus est impios, »sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et »quia dicitur *salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis »salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.»

c) Tandem hoc testimonio usi sunt PP. Latini adversus Graecos in concil. Florentino (3).

3.^o Traditione. Ex concil. Toletano XI. «Placuit... ut et »memoria (eorum qui acceperant poenitentiam ante mortem) tallium in ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum dedicata spiritalibus accipiatur.» Ex PP. adductis inter testimonia Scripturae. Ipsemet Calvinus (Instit. 43, c. 5). «Ante mille et sexcentos annos »usu receptum fuisse ut preces fierent pro defunctis. Ipsi »(PP. Ecclesiae) in errorem abrepti sunt.» Ex constanti tandem Ecclesiae praxi orandi pro defunctis, quam in vetustissimis liturgiis expressam invenimus.

4.^o Ratione a) Per contritionem deleta culpa tum mortali, tum veniali non semper tollitur ex toto reatus poenae. Sed homo potest mori cum hoc reatu inulto. Ergo in altera vita seu in Purgatorio solvere debet. *Conseq.* patet, tum quia secus melioris conditionis

(1) In Ps. CXVIII.—(2) Enarr. in Ps. XXXVII, vers. 2.—(3) Ita saltem ex casu particulari magistrorum fidei, qui tempore Pauli negligenter populum christianum edocebant, quos ut expositores sentiunt, diem extremum attingere supponens non affirmans Paulus purgandos pronuntiat, non igne purgatorii sed diei judicii universalis, legitime ob paritatem rationis et similitudinem casus arguitur ad omnes fideles, qui in puncto mortis levi aliqua macula inquinati sint. Vid. Alapide, Cornely. in h. l.